CONCILIA MOGUNTINA IN ELENCHO NUPER EDITO NUNTIATA,

NOVIS ACCESSIONIBUS AUCTA,

QUEIS

DISCIPLINA ECCLESIÆ MOGUNTINÆ SÆC. XIV. XV ET XVI.

PRÆCIPUE VERO

OBSCURA CONCORDATORUM GERMANIÆ

HISTORIA

TRIBUS EPISTOLIS

AD

L. B. CAROLUM ANT. DE DALBERG

DATIS ILLUSTRATUR

STUDIO

STEPHANI ALEXANDRI WÜRDTWEIN

Eminent. ac Celſiſſ. Archiepiſcopi & Principis Electoris Mogunt. Conſiliarii Eccleſ. Inſign. Eccleſ. Colleg. B. M. V. ad gradus Decani.

MANNHEMII, TYPIS ACADEMICIS,

MDCCLXVI.

Digitized by Google

EPISTOLA I.

Cum iterato ſciſciteris, Amice! quousque tandem proceſſerit conciliorum Moguntinorum collectio, numque eam ditaverint novæ acceſſiones, præſertim tales, quæ faciunt ad jus publicum Germaniæ eccleſiaſticum? tuis nunc votis incunctanter facio ſatis.

Ab edito conciliorum elencho, quidquid ſubſecivi temporis â negotiis, & gravibus & variis ſuffurari licuit, id vix non omne excutiendis novo labore ſynodographis veterum monumentorum collectionibus, perluſtrandisque archiviis, ac ſub hiſce adminiculis demum, ſynodis aliisque conventibus publicis circa externum eccleſiæ regimen habitis magis, magisque illuſtrandis conſecravi.

Recenſendis editis nullatenus immoror, argumenta ſolummodo anecdotorum noviter repertorum profero, & acta concordatis Germaniæ prævia in unum collecta, multam partem inedita, germano candore exhibeo.

Ad initia ſæculi XIV pertinent ſynodi, quas mſct. fere coævum ſuppeditavit a Petro & Matthia Archiepiſcopis Moguntinis celebratas; & quidem

ad concilium Petri Archiepiſcopi de anno 1310.

1311. Bulla Clementis V. PP. e concilio Viennenſi data VI non. maji ad Archiepiſcopum Petrum: de bonis templariorum ad ordinem FF. hoſpitalis Ieroſolymit. transferendis.

ex authentico mſc.

Statuta eccleſiaſtica a Petro Archiep. Mog. poſt habitum an. 1310 concilium emanata.

I Circa executiones literarum ſanctæ ſedis Moguntinæ judicum; renovando ordinationes contra captivatores clericorum, violatores nuntiorum metropoliticorum.

II Ne laici de bonis mobilibus, ſeu immobilibus, clericorum decedentium ſe intromittere præſumant.

III Laici a clericis non conſtituantur ultimarum voluntatum executores.

IV Clericus in ſuo beneficio non reſidens perdit fructus menſæ Archiepiſcopali applicandos.

V De cauſis ab archidiaconis, eorumque officialibus cognoſcendis.

VI De Domicellaribus ſub jugo ſcholaſtici exiſtentibus emancipationem ſuam importune urgentibus.

VII De non communicando cum ſpoliatoribus & offenſoribus eccleſiarum.

VIII Presbyteri ne indifferenter cauſis ſe immiſceant.

ex mſc. authent.

Statuta eccleſiaſtica Petri Archiep. Mog. de an. 1314.

1314. I Pœna in clericos non reſidentes.

II Si quis plura aſſecutus fuerit beneficia.

III Pœna in eccleſiarum parochialium rectores non presbyteros.

IV Be-

Digitized by Google

IV Beneficiati ut ordines requiſitos ſuſcipiant.

V De quæſtuariis ſine ſpeciali licentia non admittendis.

VI Cenſuris innodati infra menſem ſe ſiſtant abſolvendos.

VII Pluralitas beneficiorum juri communi contraria, & canonibus inimica ad examen revocatur.

ex mſc. authent.

Ordinationes eccleſiaſticae Petri Archiep. Mog. de an. 1315.

1315. I Pœnæ in violatores immunitatis eccleſiaſticæ decretæ.

II Contra offenſores nuntiorum ſanctæ ſedis Moguntinæ, eorumque adjutores proviſio pœnalis jam facta extenditur.

III Contra negligentes & infideles ultimarum voluntatum executores pœnæ ſtatuuntur.

IV De officiis beneficiorum cura majori adimplendis.

V Ne quis fructus beneficii ultra annum elocet, nec poſſeſſiones vendat, aut alienet.

VI De apoſtatis in choro & foro evitandis.

VII De conjurationibus cleri ſæcularis & regularis radicitus tollendis.

VIII De non reſidentibus a fructibus beneficii excluſis.

IX Proviſio ſynodalis contra pluralitatem beneficiorum reſtauratur.

X Beneficiati ne de beneficiorum de novo vacantium vel vacaturorum fructibus ſe aliquatenus intromittant.

XI Quilibet presbyter miſſæ ſacrificium Deo omnipotenti offerat, ut eccleſiæ ſuæ ſanctæ de utili Pontifice provideat, & Moguntinam eccleſiam cum toto imperio in ſalubri ſtatu conſervet.

XI

Digitized by Google

XII De fructibus beneficii litigioſi fideliter colligendis, & parti victrici exſolvendis.
XIII De bonis clericorum ab inteſtato decedentium.
XIV De quæſtuariis absque ſpecialibus ordinarii literis non admittendis.
XV Ne quæſtuarii alios ſubſtituant.
XVI De copia harum ordinationum a clero cujuslibet ſedis archipresbyteralis procuranda.

ex mſc. authent.

Statuta eccleſiaſtica Petri Archiep. Mog. de anno 1319.

1319. I De fructibus parochiarum, in quibus parochi perſonaliter non reſident.
II De quæſtuariis ordinarii literis abutentibus.
III De archidiaconis pendente lite ſuper aliquo beneficio inveſtituram concedentibus.
IV De cauſis, ſuper quibus ſummarie cognoſcant archidiaconi.
V De contrahentibus matrimonium cum impedimento dirimente.
VI Ne religioſi ſine ſpeciali parochi licentia adminiſtrent ſacramenta.
VII Religioſi in obſervatione interdicti ſe conforment eccleſiæ matrici.
VIII De reddendis rationibus ab executoribus ultimarum voluntatum.
IX De ſepultura tempore interdicti.
X De Beginis, eorumque ſtatu & habitu.
XI Revocantur conceſſiones religioſis factæ ſuper caſibus ordinario reſervatis.
XII Archidiaconi, eorumque officiales non judicent in cauſis pecuniariis duarum marcarum argentum excedentibus.

XIII

Digitized by Google

XIII De archidiaconis pro inveſtitura quidquam exigentibus.

XIV Capitula collegiatarum canonicis ſuis decimas & prædia non elocent, neque hos in fidejuſſores pro conductoribus recipiant.

XV Prælati, canonici & vicarii tempore officii divini eccleſiam non intrent ſine religione.

XVI De vagis reſtitutionibus.

XVII Obligatio dandarum decimarum a parochis ſerio publicetur, & moneatur populus ad debitam eccleſiis fidelitatem præſtandam.

XVIII De procurandis ſigillis a parochis pro executionibus ſigillandis, quæ ipſis crebrius demandantur.

XIX De ordinationibus, ſtatutisque eccleſiaſticis plebanis frequentius intimandis.

XX De religioſis benigne ſuſcipiendis.

XXI De perſolvendo cathedratico. — *ex mſc. authent.*

Ordinationes ultimae Petri Archiep. Mog. ad praeviam viſitationem emanatae an. 1320.

1320. I Commendatur debita in eccleſiis reverentia.

II Honor prælatis eccleſiæ exhibendus.

III Sub officio divino hinc inde diſcurrere prohibitum.

IV Absque licentia decani ultra diem unum nemo ab eccleſia diſcedat, qui non paruerit, pœna clauſtrali coerceatur.

V Statuitur, quid pro corpore præbendali, quid pro præſentiis computetur.

VI Præſentiæ neglectæ non ſubdividantur, ſed fabricæ accreſcant.

VII Conſpirationes reprobantur.

VIII

VIII Canonici & vicarii licentiam a decano petant, cum venam ſecari voluerint. — *ex mſc. authent.*

Concilium Aſchaffenburgenſe a Matthia Archiep. Mog. celebratum.

1320. I Statuta ſynodalia Petri Archiep. anteceſſoris jubet a clero totius diœceſis præſentari archidiaconis & ab his ſanctæ ſedis judicibus.

II Religioſi rectoribus eccleſiarum parochialium quartam integre largiantur.

III Exortum ſuper interdicto dubium elucidatur.

IV De imperitis procuratoribus a judicio ſanctæ ſedis eliminandis.

V Cum ceſſandum a divinis fuerit, authoritate propria divinorum officia non reaſſumantur.

VI Repetuntur plura ſtatuta Petri Archiep. aliorumque prædeceſſorum.

VII Fructus beneficii ultra annum non vendantur, nec alicui obligentur.

VIII Pœnitentiam non niſi ſpecialiter nominati a caſibus reſervatis abſolvant.

IX Quæſtuarii absque licentia ab ordinario obtenta non admittentur.

X De vagis reſtitutionibus — *ex mſc. authent.*

Concilium Moguntinum a Matthia Archiep. celebratum.

1327. I Quæſtuarii non niſi examinatis eorum literis admittantur.

II In qualibet parochia euchariſtia & S. oleum decenter aſſervetur.

III

Digitized by Google

III Clerici tonſuram & decentem habitum deferant, nec comam nutriant.

IV Sigilla eccleſiarum probe cuſtodiantur.

V Abſentes canonici ob metum corporis, aut conſcientiæ prætenſum quotidianas diſtributiones non accipiant, niſi prius de metu hujusmodi judicibus ſanctæ ſedis fidem faciant.

VI De invaſoribus eccleſiarum, bonorumque eccleſiaſticorum.

VII Religioſi plebanis tradant canonicam portionem.

VIII Religioſi absque parochi licentia ſacramenta non adminiſtrent.

IX Innovantur ſtatuta contra non reſidentes, & pluralitatem beneficiorum.

X Pœnitentiarii revocantur præter expreſſe nominatos.

XI Proclamationes antecedant nuptias

e mſc. authent.

Conſtitutiones ſynodales Gerlaci Archiep. Moguntini.

1355. I Statuta ſynodalia annis elapſis edita, & publicata renovantur.

II Omnes eccleſiæ cleri, ſæcularis & regularis, ſtatuta hæc, & provincialia ſibi procurent.

III Ad exterminandas ſordes incontinentiæ officium viſitationis ſedulo peragant archidiaconi, inventumque crimen ſevere puniant.

IV Sacerdos jejunus non niſi unam ſingulis diebus miſſam celebret.

V Archidiaconi invigilent, ne clerus in vitia effundatur.

VI Clerici in convocationibus ſynodalibus compareant.

Digitized by Google

VII Archidiaconi haſtiludia ſeu torneamenta ne exerceant, aut arma gerant.

VIII Decani, aliique collegiatarum prælati ſerio admonentur muneris & officii ſui.

IX Archipresbyter Moguntinus curam gerat, ne quis habeat duas aut plures eccleſias curatas.

X Ne deſint miniſtrantes in collegiatis, decani ſubditos ſuos ad ſuſcipiendos ordines compellant.

XI Prælati in eadem eccleſia plura non habeant beneficia.

XII De eo, quod fabricæ eſt a præbendatis reſtituendum.

XIII Officiati collegiatarum elapſo quovis biennio mutandi, eorumque computus ſingulis annis exhibendi.

XIV Impetrationes beneficiorum infra ſex ſeptimanas publicandæ.

XV Clericus mutilator ſeu occiſor de ſua non docens abſolutione, nullos percipiat fructus.

XVI Archidiaconi litigantibus veros extradant proceſſus, & notarii ſedis pro redimendis actis ne immoderatam exerceant executionem.

XVII Clerici ſæcularibus ne ſe immiſceant adminiſtrationibus.

XVIII Procuratores ab exordio litis judici mandata exhibeant.

XIX Sacerdotes SS. euchariſtiæ ſacramentum & S. oleum, ægrotis proviſis, ad eccleſiam devote reportent.

XX Cathedraticum a nemine niſi de ſpeciali licentia eſt colligendum.

XXI Statutum pro ſcholaſticis, de alendis, inſtruendis & emancipandis domicellaribus.

XXII

Digitized by Google

XXII Conſtitutiones pro judicio eccleſiaſtico.
XXIII Conſtitutiones quæſtuarios concernentes.
XXIV De ſolvendis fructibus biennalibus.
XXV De proceſſibus ſedulo exequendis *e mſc. volumine coaevo novem vix non ulnis longo.*

Statuta ſynodalia Gerlaci Archiepiſcopi.

1356. I Nulli niſi ſpecialibus ordinarii literis munito data facultas a caſibus reſervatis abſolvendi.
II Religioſi tantum ab ordinario approbati audiant confeſſiones.
III Revocantur omnes quæſtuarii.
IV Literæ & mandata ordinarii die dominica in frequentia populi publicentur.
V Citationes ſecundum diſtantiam & tempus bene moderentur.
VI Proceſſus diligenter exequendi.
VII De ſolutione fructuum biennalium.
VIII De iis, qui cathedratium necdum ſolverunt.
IX Notarii publici ſpecialiter ſunt approbandi.
X Ne quis tanquam procurator religioſorum tempore interdicti divina audiat apud religioſos.

e volum. coaevo mſc.

En, amice præprimis colende! novas antiquitatis eccleſiaſticæ reliquias, quæ, ſi ſuo tempore in extenſo proferentur, veris rerum æſtimatoribus gratæ erunt, imo gratisſimæ.

Ne vero fines epiſtolæ longius egrediar, hic ſiſto, & famoſam concordatorum Germaniæ materiam, multis nominibus inter acta eccleſiæ Moguntinæ referendam proxime, ma-

Digitized by Google

jus otium ſi nactus fuero, ex editis ſimul & ineditis communicabo. Vale. Dabam e muſæo 14 Decembris 1764.

EPISTOLA II.

Datam nuper fidem ex parte ſaltem perſolvo, dum pleniorem actorum, concordatis Germaniæ præviorum, ideam & recenſum tibi ſubminiſtrare meditor. Illuſtris profecto materia, quæ a Germanis intimius examinetur, bene digna!

Vidimus equidem hoc ſeculo multos labores academicos, pluresque libros ſingulares, hoc thema cordate pertractantes, præcipua vero fundamenta, baſin, & concordatorum fulcra, ſimul ac ſemel edita, necdum vidimus. Quid ad omnium horum induſtriam ſubſidii attulerim, tu velim judices.

Cum vero inſtituti præſentis ratio depoſcat, hinc inde quædam de reformatione eccleſiæ, de conciliorum Conſtantienſis & Baſilienſis authoritate &c. inſerere, noli exiſtimare, me cum aliquibus velle in ſedem eccleſiæ ſupremam auſu temerario inſurgere, ipſamque ſanctiſſimam Chriſti doctrinam liberius ſigillare; neutiquam id eo animo fiet. Eccleſia enim, dogmata ſi ſpectes, reformatione nunquam indiguit; neque unquam indigebit; fides non deficiet. Firma ſtabit eccleſia ſupra petram poſita. Rugæ tamen & maculæ non in S. ſedem, ſed in curiam Romanam, in externum regimen quandoque irrepſere, & de hiſce reformandis ſermo eſt.

Rem apertius ut ob oculos ponam, exemplo utor. Appellationes (unum ex præcipuis reformandæ eccleſiæ capitibus) frivole ſubin, & præpropere abſque intermedio deductæ ab Epiſcoporum tribunalibus ad curiam Romanam juſtas ſæpius

pius

Digitized by Google

pius excitarunt querelas apud nationem Germanicam præſertim in concilio Conſtantienſi, cui varii articuli de reformatione fuere oblati; hos inter ſextus: *de cauſis in Romana curia tractandis, vel non. Super hoc articulo videbatur dictae nationi primo, quod ſine rationabili cauſa, & expreſſa a modo non committantur aliquae cauſae in curia Romana pertractandae cum tali clauſula: Non obſtante, quod cauſa de ſui natura in Romana curia non fuerit tractanda. Item videtur, quod non deceat, nec expediat ſedem apoſtolicam de cauſa mere profana inter laicos Romanae eccleſiae temporaliter non ſubjectos etiam praetextu ſignationis ſe intromittere quovis modo, niſi illo tempore generalis paſſagii, quo forte illos eundo, ſtando, vel redeundo in ſubſidium terrae ſanctae morari contigerit, niſi in caſu perhorreſcentiae duobus teſtibus ultra juramentum actoris probandae, aut negligentiae judicis ſaecularis legitime comprobatae vel niſi de conſenſu partium expreſſo.*

Item videtur, quod cauſae pecuniariae etiam ad forum eccleſiaſticum ſpectantes, & ſummam quingentorum aureorum non excedentes nec non beneficiales ſummam XV marcarum argenti ſecundum communem aeſtimationem valoris antiqui non excedentes, ad ſimplicem querelam per ſedem apoſtolicam non committantur in Romana curia, etiamſi beneficium auctoritate apoſtolica collatum fuerit, vel praetendatur.

Item in cauſis matrimonialibus, quae non fiunt inter perſonas ſublimes, vel praepotentes, exceptis caſibus perhorreſcentiae, & negligentiae judicis inferioris, aut de conſenſu partium ut ſuperius continetur.

Super ſeptimo autem articulo de appellationibus ad Romanam curiam ſic videbatur: *Primo quod cauſae, quae per ſimplicem querelam juxta praemiſſa in Romana curia non ſunt tractandae, per appellationem extrajudicialem ad ſe-*

Digitized by Google

dem apoſtolicam vel Romanam curiam devolvi non debeant, nec in ea in vim hujusmodi appellationis quomodolibet tractari.

Item, quia multi gravantur ex eo, quod appellatur judicialiter ad ſedem apoſtolicam indifferenter, omiſſo medio & quod appellatur a gravaminibus citra definitivam; quae per appellationem poſſunt reparari. Dignetur dominus noſter ſummus pontifex circa hujusmodi gravamina providere.

Item quod nulla appellatio e gravamine citra definitivam, niſi ex legitima vel rationabili cauſa in eadem expreſſa, in Romana curia non admittatur, ſed fruſtratoria omnino repellatur. Ita, quod Romana curia de tali appellatione per citationem, inhibitionem vel alias ſe nullatenus intromittat.

Item, quod ſuper appellatione ante definitivam ſententiam non fiat inhibitio, quousque conſtiterit cauſam legitime devolutam. Et tunc de appellationis articulo ante omnia cognoſcatur. Et ſi appellans in aliquo praedictorum defecerit, cauſa ad priorem judicem remittatur, deficiens in expenſas litis & itineris condemnetur, & nihilominus juxta perſonarum & cauſae qualitatem pro ſua temeritate arbitrarie puniatur, niſi de conſenſu partium aliter procedatur.

Item ad tollendas calumnias videtur expediens, quod quidem appellans juret, quod non dilationis vel ad compoſitionem aut renuntiationem inducendi partem adverſam cauſa ſeu alias malitioſe, ſed quia juſtam cauſam ſe fovere credit, appellet. Alioquin appellatio ſit irrita ipſo jure, & nullatenus admittatur.

Has querelas ut ſedaret Martinus V recens electus, reformationem nationibus obtulit labente menſe Januario anni 1418, & quidem ad articulum VI & VII. De cauſis in Romana curia tractandis, vel non. *mſc. Vindob.* Papa decrevit: *caetera, quae de jure ad curiam non pertinent, in ea non tractari.* De appellationibus ad Romanam curiam. *Mſc. vindob.*

dob. injuſte ſeu frivole appellans ab interlocutoria, vel gravamine, ultra condemnationem expenſarum & intereſſe non audiatur.

Cauſae, quae ad forum eccleſiaſticum de jure, vel conſuetudine non pertinent, per curiam Romanam non recipiantur, de illis cognoſcendo in curia, vel extra committendo, niſi de conſenſu partium. Quae vero ad forum eccleſiaſticum, ut praemittitur, pertinent, & de jure ſunt, per appellationem aut alias ad Romanam curiam devolutae, aut de ſua natura in illa tractandae, tractentur in ea. Caeterae committantur in partibus. Niſi forte pro cauſae, aut perſonarum qualitate illas tractare in curia expediret pro juſtitia conſequenda, vel de partium conſenſu in curia tractarentur. Matrimoniales tamen cauſae in prima inſtantia praeter appellationem non committantur in curia, niſi in cauſis proxime dictis.

Item ad refraenandum appellationes fruſtratorias, quae ante definitivas ſententias interponuntur, ordinamus, quod injuſte, ſeu frivole appellantes ab interlocutoria, vel gravamine, ultra condemnationem expenſarum, damnorum, & intereſſe, in decem florenos, ſi appellatio interponatur in curia, & in viginti, ſi de partibus ad curiam parti appellatae condemnetur. Et quod ſuper eadem locutoria, vel gravamine ſecundo appellare non liceat, niſi haberent vim definitivae.

Concordia tandem ſpecialis ſuper hoc puncto Pontificem inter & nationem Germanicam inita die 21 Martii e. a. confirmata eſt tenoris ſequentis. Caput IV de cauſis in Romana curia tractandis, nec ne. *Sanctiſſimus dominus noſter papa Martinus V ſtatuit & ordinat, quod nullae cauſae in Romana curia committantur, niſi quae de jure & natura cauſae in Romana curia tractari debebunt. Et quod cauſae, quae ad forum eccleſiaſticum de jure, vel conſuetudine non pertinent, per Romanam curiam etiam praetextu cruceſignationis laicorum extra tem-*

tempus paſſagii generalis non recipiantur, de illis cognoſcendo in curia vel extra committendo, niſi de conſenſu partium. Quae vero ad forum eccleſiaſticum pertinent, & de jure ſunt per appellationem aut alias ad Romanam curiam devolutae, ac de ſui natura in eadem tractanda, tractentur in ea. Caeterae committantur in partibus. Niſi forſan pro cauſae, aut perſonarum qualitate in commiſſione exprimenda illas tractare in curia expediret pro juſtitia conſequenda, vel de partium conſenſu in curia tractentur.

Cum vero concordata hæc lapſo quinquennio exſpiraſſent, querulanti inclytæ nationi novum remedium tulit concilium Baſileenſe, decreto triceſimæ primæ ſeſſionis ſic ſtatuens: *eccleſiaſticae ſollicitudinis ſtudium jugiter invigilare convenit, ut fraterna charitas in clero ac populo Chriſtiano vigeat, nec quisquam per vexationes & afflictiones indebitas proximum ſuum opprimere permittatur, ſicque juſtitia ordine debito cuilibet miniſtretur, ut & viris doloſis auferatur nocendi licentia, & quies & tranquillitas rectorum non facile perturbetur.*

Inoleverunt autem hactenus intolerabilium vexationum abuſus permulti, dum nimium frequenter a remotiſſimis etiam partibus ad Romanam curiam, & interdum pro parvis & minutis rebus ac negotiis quam plurimi citari, & evocari conſueverunt, atque ita expenſis & laboribus fatigari, ut nonnunquam commodius arbitraremur juri ſuo cedere aut vexationem ſuam gravi damno redimere, quam in tam longinqua regione litium ſubire diſpendia. Sic facile extitit calumnioſis opprimere pauperes, ſic beneficia eccleſiaſtica plerumque minus juſte per litium anfractus obtenta ſunt, dum juſtis poſſeſſoribus eorum, ſeu quibus illa de jure competebant, neque opes, neque facultates ad illos ſumptus ſufficere poterant,

quos

Digitized by Google

quos longinqua profectio ad Romanam curiam, & litis agitatio in eadem depoſcebant.

Confunditur etiam exinde ordo eccleſiaſticus, dum ordinariis judicibus ſua jurisdictio minime ſervatur, pecuniæ & facultates regnorum ac provinciarum hoc pacto non parum diminutæ ſunt. Et quod univerſo eccleſiaſtico ordini admodum nocere compertum eſt, hi, quos ad ſumma negotia Chriſtianæ religionis ſublimitas dignitatis evocabat, minus illis reddebantur intenti, dum ipſorum mentes nimium occupabat aſſidua cauſarum multitudo. Quæ attendens hæc ſancta ſynodus, & pro reformatione eccleſiæ Dei in capite & in membris juxta poteſtatem ſibi a domino conceſſam evigilans, ut omnia deinceps ordine congruo peragantur ad ſalutem animarum, & pacem ac quietem cunctorum, ſtatuit & decernit: *Quod in partibus ultra quatuor diaetas a Romana curia diſtantibus omnes quaecunque cauſae exceptis majoribus in jure expreſſe enumeratis & electionum eccleſiarum cathedralium, & monaſteriorum, quas immediata ſubjectio ad ſedem apoſtolicam devolvit, apud illos judices in partibus, qui de jure aut conſuetudine praeſcripta, vel privilegio cognitionem habent, terminentur & finiantur.*

Et ne ſub umbra appellationum, quae nimium leviter & nonnunquam frivole hactenus interponi viſae ſunt, atque etiam in eadem inſtantia ad prorogationem litium ſaepe multiplicari, materia fovendis injuſtis vexationibus relinquatur, ſtatuit eadem ſancta ſynodus, quod ſi quis offenſus coram ſuo judice habere non poſſit juſtitiae complementum, ad immediatum ſuperiorem per appellationem recurſum habeat

Nec ad quemcunque etiam ad Papam, obmiſſo medio, neque a gravamine in quacunque inſtantia ante definitivam ſententiam quomodolibet appelletur, niſi forſitan tale gravamen extiterit,

quod in definitiva ſententia reparari nequiret: quo caſu, non alias ad immediatum ſuperiorem licet appellare.

Si vero quispiam a ſedis apoſtolicae immediate ſubjecto adipſam ſedem duxerit appellandum, cauſa per reſcriptum usque ad finem litis incluſive in partibus committatur. Niſi forte propter defectum juſtitiae, aut juſtum metum etiam in partibus convicinis, de quibus in commiſſione exprimendis legitimo prius documento alias quam per juramentum ſummarie conſtiterit, apud ipſam ſedem foret merito retinenda. Et quidquid in contrarium hujus ſaluberrimi decreti attentatum, factum vel obtentum fuerit, ſit nullum ipſo facto . . . . Datum in ſeſſione noſtra publica in majori eccleſia Baſileenſi ſolemniter celebrata nono kalendas februarii anno a nativitate Domini milleſimo quadringenteſimo trigeſimo octavo.

Hoc decretum anno ſubſequente in conventu celeberrimo epiſcoporum ac principum Moguntiæ celebrato, uti & in ipſis concordatis Aſchaffenburgenſibus cum S. Pontifice anno 1448 initis, denuo fuit acceptatum, neque aliud hac ſuper re usque in hodiernam diem ordinatum exiſtit. Manet ergo decretum hoc Baſileenſe ſuo in vigore. Perlege (ſi lubet) attente ſaluberrima inibi ſtatuta, & confer hodiernos circa appellationes abuſus. Ingemiſces profecto & reformationem curialiſtarum in hoc capite neceſſariam ultro deprehendes, qui neque Tridentinam, neque alias SS. Pontificum conſtitutiones hac ſuper re ſæpius emanatas curare videntur.

Nil memoro de reſervationibus beneficiorum, de exemptionibus a jurisdictione epiſcoporum eccleſiæ quam maxime nocivis &c. Ea potius, quæ concernunt eccleſiam Moguntinam intuitu ſynodorum Conſtantienſis & Baſileenſis, nec non cum his proxime affinia acta concordatis prævia, hic breviter conſigno. Pertinent autem ad ea:

1409.

1409. Conventus Francofordienſis prælatorum & procerum præſente Ruperto rege Romanorum circa epiphaniam Domini anno MCCCCIX. celebratus, ad convocandum eccleſiaſticos prælatos & principes Alemanniæ, ad veniendum aut mittendum ad generale concilium Piſis celebrandum.

1416. Edictum Joannis Archiepiſcopi Mog. quo abbatibus & prælatis Moguntinæ diœceſis intimatur, ut ſe accingant ad intereſſendum concilio generali Conſtantienſi.

Aviſamenta Conſtantienſia per deputatos provinciarum nationis Germanicæ, concepta in concilio Conſtantienſi & poſtea per deputatos ejusdem nationis audita ſuper materia Apoſtolicarum reſervationum & collatione beneficiorum, hactenus per ſummos Pontifices & ordinarios collatores practicanda.

1418. Concordata in concilio Conſtantienſi inter Martinum PP. V. & nationem Germanicam de eccleſiæ univerſalis adminiſtratione inita.

1431. Encyclica metropolitani Moguntini, qua convocantur ſuffraganei ad concilium Aſchaffenburgi celebrandum, ubi ea diſcutienda, quæ ſtatum & reformationem eccleſiarum Germaniæ concernunt.

1432. Eugenius IV PP. Conradum Archiep. Mog. literis Romæ ſubſignatis certiorem reddit, quod quidem concilium generale a civitate Baſileenſi Bononiam transferendum decreviſſet, nunc vero ceſſantibus magna ex parte impedimentis in præfata civitate Baſileenſi eſſet celebrandum, ad quod ut Archipræſul cum magno prælatorum & doctorum numero veniat, ſollicite hortatur S. Pontifex.

Digitized by Google

Literæ ſynodi Baſileenſis ad Conradum Arch. Mog. hortatoriæ, quatenus per omnem provinciam peculiares preces, aliaque pietatis exercitia demandet pro exoranda divini Numinis clementia, ut aberrantes Bohemos ad gremium ſanctæ matris eccleſiæ reducere dignetur.

Conradus Archiep. Mog. Joannem Epiſcopum Herbipolenſem monet, ut vel in concilio Baſileenſi compareat, vel nuntios mittat.

1433. Eugenius IV PP. Conrado Archiep. Mog. notum facit Sigismundi regis in alma urbe adventum, teſtaturque inſimul ingens deſiderium reſtituendæ pacis & quietis in eccleſia.

1437. Synodus Baſileenſis Petrum Echter decanum, & Albertum pincernam de Limburg canonicum metropolitanæ Moguntinæ deputat executores ad publicandas indulgentias pro felici reductione Græcorum.

Bulla ſynodi Baſileenſis contra violatores privilegiorum, libertatum & immunitatum cleri Moguntini.

Eugenius PP. IV univerſitatem Erfordienſem literis vocat ad concilium Ferrarienſe.

1438. Theodoricus Archiep. Mog. ſuffraganeis ſuis intimat disſidium inter concilium Baſileenſe & Pontificem Eugenium ob decretam ab hoc translationem ſynodi ad civitatem Ferrarienſem.

Memorat item ſe decreta a concilio ſuper ſublatione reſervationum & ordine appellationum gratanter acceptare. Indicit porro conventum Moguntiæ ſuper præmiſſis & aliis celebrandum.

Reſponſio ſynodi Baſileenſis data oratoribus Electorum imperii Romani inſtanter urgentibus, ut in proceſſu Eugenii Papæ ſuperſederetur.

Syno-

Synodus Baſileenſis univerſitatem Erfordienſem literis monet, ne quenquam ſuorum ad conventum Ferrarienſem ableget.

Inſtrumentum neutralitatis ab Electoribus imperii initæ.

Appellatio principum Electorum ad futurum concilium.

Literæ principum Electorum ad concilium Baſileenſe, ne contra Eugenium PP. vel pœnis vel cenſuris procedat.

Literæ principum Electorum ad Eugenium PP. & eorundem Electorum literæ ad concilium Baſileenſe e conventu Francofordenſi datæ, queis petunt oratoribus ſuis fidem adhiberi.

Literæ principum Electorum ad eccleſiæ Cardinales, ut pacem & tranquillitatem conſervent, & miſſis oratoribus fidem adhibeant.

Literæ principum Electorum ad regem Angliæ, ut pro reſtituenda eccleſiæ pace collaboret.

Literæ credentiales in hac cauſa oratoribus datæ.

Electione Alberti in Romanorum regem feliciter peracta, ſeptemviri conveniunt, ſeſe omnem daturos operam pro ſuffocando Eugenium inter & PP. concilii Baſileenſis flagrante diſſidio, unde alias luctuoſum poſſet oriri ſchiſma. Quod ſi non eſſecerint, nihilominus nexu indiſſolubili velle manere, & neo-regi devote ſupplicare, ne ſua gratia, ipſique Electores ab invicem ſeparentur, plene confiſi, fore ut cæteri imperii principes ad hujusmodi divinam & individuam unionem accedant.

Digitized by Google

Literæ principum Electorum ad dominum Joannem Orientis imperatorem, qui haud pridem Ferrariæ applicuit, ut oratoribus fidem accommodet.

Literæ principum Electorum ad Archiepiſcopos, queis datur notitia de unione inita, & interpoſitis proteſtatione & appellatione ſupra memoratis.

Theodoricus Archiepiſcopus Mog. Joannem de Lyſura Vicarium generalem deſtinat oratorem ad Concilium Baſileenſe. Cum vero conſtitutus eſſet in reſidentia collegiatæ eccleſiæ B. M. V. ad gradus Moguntiæ, a capitulo Archipræſul inſtanter petit, ut non obſtante abſentia, tempus reſidentiæ ſuæ jam factæ non perdat de Lyſura, ſed illud in omnibus, poſtquam reverſus fuerit, continuare poſſit.

Archiepiſcopi Mog. miſſivæ ad Auguſtanum, Argentinenſem, Hildesheimenſem & Curienſem Epiſcopos cum copiis appellationis, proteſtationis & unionis inſtrumentorum accluſis.

Literæ domini Moguntini ad religioſos ſuæ diœceſis, ut durante diſſidio ſedi metropolitanæ adhæreant.

1438. Theodoricus Archiepiſcopus Colonienſis, adminiſtrator Paderbornenſis, literis interpellat concilium Baſileenſe pro impetranda conjunctione eccleſiæ Paderbornenſis cum metropolitana Colonienſi.

1439. Metropolitanus Moguntinus ut hac ſuper re gravi audiatur, concilio proponit.

Reſponſio ſynodalis oratoribus regum Romanorum & Francorum, nec non principum imperii data ſuper propoſita mutatione concilii, & ſuſpenſione proceſſus contra Papam.

In-

Digitized by Google

Inſtructio legatorum Eugenii PP. ad diætam Francofurdienſem deſtinatorum.

Legati Eugenii PP. ut principes Electores Moguntiæ exiſtentes ſecure poſſint accedere, ab his petunt literas ſalvi conductus.

Inſtrumentum acceptationis decretorum concilii Baſileenſis per principes Alemanniæ facta. Celebris hujus inſtrumenti exemplar authenticum & coævum extat inter chartas eccleſiæ B. M. V. ad gradus Moguntiæ, ad quas facile devenire potuit per Theodoricum Ebbracht, in hoc celeberrimo conventu oratorem Alberti regis Romanorum, & prædictæ eccleſiæ canonicum.

Capitula intelligentiæ oratorum regis Romanorum & principum Electorum in diſcordia ſacri Baſileenſis concilii & Papæ Eugenii.

Reſponſiones ſacri concilii Baſileenſis ſuper præmiſſis capitulis in Moguntia conceptis.

Proteſtatio oratorum contra hujusmodi reſponſionem concilii.

Eugenii IV PP. litteræ ad univerſitatem Erfordienſem, queis ei notam facit unionem eccleſiæ Græcæ cum Latina.

Reſponſum ab univerſitatis Erfordienſis Theologiæ & juris divini & humani doctoribus datum Theodorico Archiepiſcopo Moguntino ſuper quæſtionibus: An in unione, proteſtationibus & appellationibus jam dictis diutius ſit reſidendum. Si non, ſed alteri parti ſit adhærendum, cui earum poſſit & debeat adhæreri?

Sep-

Digitized by Google

Septemviri factam anno ſuperiore unionem ad pacem in eccleſia Dei componendam renovant, neutralitatem amplectuntur, declarando, quod ſive a Pontifice, ſive a concilio proceſſus exierint & mandata, mediante communi proteſtatione & appellatione ordinarint quævis opportuna.

Proteſtatio & appellatio principum Electorum ſupra dicta.

Unioni præfatæ accedit Balduinus Archiepiſcopus Bremenſis, prout literis deſuper datis declarat.

1440. Aviſamenta tempore concilii Baſileenſis ab Electoribus Imperii Moguntiæ in publico conventu concepta.

Encyclica Theodorici Arch. Mog. ad ſuffraganeos pro celebrando provinciali concilio in cauſa diſſidii eccleſiaſtici.

Fridericus Romanorum rex Carolum VII, Galliæ regem, literis invitat ad conventum Moguntiæ pro ſalute eccleſiæ publica celebrandum.

Felix V a Baſileenſibus Pontifex electus univerſitatem Erfordienſem ſollicite hortatur, ut concilio firmiter adhæreat, & oratoribus in Poloniam deſtinatis, transeundo Erfordiam in commiſſis fidem habeant.

Literæ concilii Baſileenſis ad univerſitatem Erfordienſem, ut in præſenti certamine ſpirituali conſtans perſeveret.

Felix V e concilio Baſileenſi ad univerſitatem Erfordienſem, ut in conventibus per Germaniam celebrandis cauſam eccleſiæ cum Baſileenſibus viriliter ſuſtineant.

1441. Ad condeliberandum in ſolemni conventu Moguntino cauſa reſtinguendi ſchiſmatis indicto rex Fridericus mittit oratores.

Syno-

Digitized by Google

Synodi Baſileenſis credentiales ad Jacobum a Sirck, Archiepiſcopum Trevirenſem, in conventu Moguntino exiſtentem.

Adhortatoriæ concilii Baſileenſis ad univerſitatem Erfordienſem, ut firmiter adhæreat concilio, & oratares ad conventum Francofordienſem ableget.

1442. Literæ concilii Baſileenſis ad univerſitatis Erfordienſis oratores apud Francfordiam conventuros.

Oratio cardinalis Panormitani habita conventu Francofordienſi.

Nota. Hæc Parnormitani oratio extat quidem impreſſa in Caroli ſeptimi, Francorum regis, pragmatica ſanctione Pariſiis edita A. MDCLXVI, ſed millenis vix non mendis referta, quare operæ pretium fuit, illam conferre cum mſc. coævo, & hic addere lectiones variantes.

Summa dictorum Nicolai de Cuſa Francfordiæ contra olim Panormitanum & defenſores ſchismatis Baſileæ facti.

Literæ Felicis ad univerſitatem Erfordienſem hortatoriæ pro continuando ſancto propoſito in cauſa concilii Baſileenſis.

Reſponſio ſynodalis facta oratoribus regis Rom. ac principum Electorum de transferendo concilio.

Reſponſio ambaſiatoribus regis Rom. & principum Elector. Florentiæ per Eugenium PP. in conſiſtorio ſecreto data.

1445. Literæ Baſileenſium ad univerſitatem Erfordienſem, ut ſtrenue certare pergat pro eccleſia ſancta Dei in proximo conventu Francfordiæ celebrando.

Literæ Baſileenſium ad rectorem & doctores univerſitatis ſtudii Erfordienſis, ut in proxima diæta Norim-

Digitized by Google

bergenſi auctoritatem univerſalis eccleſiæ & generalium conciliorum ſuffulcire allaborent.

1446. Aviſamenta collegii Electoralis, queis mediantibus adhucdum vigens lamentabile ſchisma, ſeu inter Eugenium PP. & Felicem diſcordia tandem componi poſſit.

Nota. In hiſce aviſamentis fundantur concordata principum eodem anno Ima ſept. Francoſurti inita, quæ dein anno 1448. ſubſecuta ſunt concordata Aſchaffenburgenſia.

Plena poteſtas ſive mandatum, quo rex Fridericus ſuos inſtruxit oratores ad comitia Francofordenſia kalendis ſeptembris inchoanda.

Breve Eugenii IV PP. pro legatis ſuis ad conventum Francoſurt. deſtinatis.

1447. Bulla Eugenii IV de reſtitutione Jacobi Trevirenſis & Theodorici Colonienſis Archiepiſcop.

Breve Eugenii IV ad Fridericum Rom. regem, Theodoricum Archiepiſcopum Moguntinum, & Fridericum Marchionem Brandeburgenſem de celebratione concilii novi.

Eugenii PP. IV conceſſio, ut decreta concilii Baſileenſis, ab Alberto rege Rom. acceptata, porro in Germania obſerventur, donec aliud concordatum vel in concilio fuerit ordinatum.

Bulla Eugenii IV PP. ſuper diverſis indulgentiis, diſpenſationibus ac concéſſionibus datis Friderico regi Rom. & principibus Germaniæ, qui receſſerant a neutralitate, & obedientiam ei præſtiterunt.

Nicolai V PP. Breve notificatorium, quod Joannem Cardinalem S. Angeli ſit miſſurus in Germaniam ſecundum

dum condicta inter quondam PP. Eugenium, regem Fridericum & oratores.

Adviſata in conventu Aſchaffenburgenſi facta de obedientia, ſicut Eugenio IV, ita & Nicolao V præſtanda.

1448. Concordata Aſchaffenburgenſia inter Pontificem Nicolaum V & Imperat. Fridericum III ſuper collatione beneficiorum eccleſiaſticorum &c. inita, eodem anno a Pontifice confirmata.

Ex brevi hac actorum ſynopſi facili negotio dijudicare poteris, quanto labore ſteterint famoſa concordata, nationi Germanicæ non omni ex parte faventia &c. Quodſi ea, quæ tribus tantummodo verbis hic indigitare licuit, in extenſo legere cupias, gratiſſima tua præſentia me velim ſæpius honores, & omnis manuſcriptorum congeries præſto erit. Vale, & te vere amantem paulisper redamare perge. Dabam e muſæo IX Martii An. MDCCLXV.

EPISTOLA III.

Binis ante annum comprehendi litteris, quæ pro perficienda conciliorum Moguntinorum collectione nova ab edito Elencho acceſſere ſubſidia. Inter alia, pro ſingulari humanitate tua, multum ſuſpexiſti, amice! illa, quæ ſeriem hiſtoricam ad condita Germaniæ concordata usque ſiſtunt uberiorem. Vicibus hinc repetitis hortatus es, ut totum opus prelo tandem committerem. Cunctari autem potius cum Fabio duxi, quam in re tanti momenti properare nimium. Subſtiti igitur paulisper, tacitaque mente revolvi: num & qua demum liceat ratione auguſtiſſimam Vindobonenſem bibliothecam,

Digitized by Google

quæ acta Æneæ Sylvii manualia, ut ajunt, ſolicite aſſervat, inviſere atque ex hac divite vena haurire liberius. Et en! favet Kollarius, literarii hujus theſauri cuſtos primarius, & ſubminiſtrat, quæ ſequuntur, perrara documenta ſuo quævis loco intercalanda.

1433. Aviſamenta ad Sigismundum regem Romanorum ex parte concilii Baſileenſis.

1434. Capita concordiæ inter Eugenium Papam & concilium Baſilienſe ſanciendæ, Moguntiæ confecta.

1435. Inſtrumentum proteſtationis a Germanica natione per Joannem Epiſcopum Lubecenſem in congregatione generali concilii Baſilienſis factæ ad hoc, ut medium indulgentiarum & per eas colligendæ pecuniæ proſit & non potius obſit fidei & ſtatui eccleſiaſtico.

1436. Poſtulata nationis Germanicæ in concilio Baſilienſi.

Litteræ nomine totius nationis Germanicæ ad Sigismundum Imperatorem datæ. Petit ut de translatione concilii pro unione Græcorum nihil decernat, non audito legato, quem eam ob cauſam ad eum mittit.

Nationis Germanicæ in concilio Baſilienſi litteræ ad executores indulgentiarum in regno Poloniæ, ut pecunias ex indulgentiis collectas numerari curent Coſmæ & L. de Medicis & ſociis mercatoribus Florentinis, vel eorum inſtitori Roberto de Martellis.

1437. Inſtrumentum proteſtationis nationis Germanicæ nomine a Nicolao eccleſiæ Lubecenſis decano in concilio Baſilienſi die veneris, octava februarii, interpoſitæ adverſus decimam, cum poſtulato: ut æqualitas inter nationes ſervetur in taxatione.

In-

Digitized by Google

Inſtrumentum proteſtationis Germanicæ nationis nomine a modo dicto Nicolao in congregatione generali concilii Baſilienſis die veneris 26 menſis Aprilis interjectæ adverſus impoſitionem decimæ pro negotio reductionis Græcorum.

Proteſtatio nationis Germanicæ ſuborta diſcordia de loco œcumenici concilii (pro reductione Græcorum) decretando in concilio Baſilienſi.

1438. Ludovici de Roma reſponſio data in congregatione generali legatis principum Electorum S. R. I.

Propoſitio facta ad principes Electores S. I. per R. D. P. Archiep. Panormitanum, ex parte concilii Baſilienſis miſſum.

Nationis Germanicæ in ſynodo Baſilienſi exiſtentis litteræ ad collectores & cuſtodes pecuniæ ex indulgentiis pro unione Græcorum in Conſtantienſi, Curienſi civitatibus & diœceſibus, quemadmodum & Baſilienſi & Lauſanenſi, ut eam pecuniam hominibus a ſacro concilio nominatis tradant.

Reſponſio per oratores regis Romanorum Alberti & principum Electorum nuper data Norimbergæ ambaſiatoribus concilii Baſilienſis in feſto S. Margarethæ ſuper his, quæ propoſita fuerant ex parte concilii coram rege Romanorum prædicto.

Reſponſio ab Eugenio Papa data legatis principum Electorum, cui præmittitur præfatio hiſtorica.

Nationis Germanicæ in Baſilienſi concilio exiſtentis litteræ ad principes Electores S. R. I. per oratores, quos ſynodus ad eos mittit, ſuppetiasque rogat ad diſſolvendum æs alienum a concilio contractum, quo & ipſa natio obſtricta eſt.

Digitized by Google

Ejusdem nationis litteræ ad Ulricum Epiſcopum Aruſienſem. Rogat ut Joanni Ynari præpoſito eccleſiæ Aruſienſis favere velit ad hoc, ut is pecuniam in diœceſi Aruſienſi collectam pro concilii neceſſitatibus ad ipſum concilium transmittere poſſit.

Ejusdem nationis ad Archiep. Colonienſem litteræ. Rogat ut mandet ſolvi Dogoni de Albertis & Antonio de Janſigliariis mercatoribus Florentinis florenos auri de camera quatuor mille, de pecuniis ex indulgentiis in ejus diœceſi & provincia collectis.

Proteſtatio ac reſponſio, quas anno dni MccccxxxvIII in Januario fecerant S. R. I. Electores, in Francofordia pro futuri regis Rom. electione congregati, poſtquam oratores concilii & Eugenii Papæ ſuſpenſi coram eis propoſuerant.

Germanicæ nationis ad Guilielmum Marchionem de Hochberg litteræ. Petit ut diligentiam omnem adhibeat ad hoc, ut oratores concilii, qui in reditu a Galliarum rege capti fuerant, e cuſtodia dimittantur.

Libellus ab oratoribus poſt reditum a Papa concilio oblatus.

Joannis Epiſcopi Misnenſis epiſtola ad nationem Germanicam in ſynodo Baſilienſi exiſtentem. Paratum ſe dicit ad facienda nationis mandata, ſubdens nonnulla de bulla, qua conſtitutus fuit collector pecuniæ ex indulgentiis colligenda.

Reſponſio concepta per unum ex oratoribus concilii ad oratores regis Rom. & principum Electorum in diœta Nurenbergenſi. Non fuit exhibita.

Diffi-

Digitized by Google

Difficultates per ambaſiatores concilii motæ oratoribus imperii in diæta Nurenbergenſi.

Reſponſio facta per ambaſiatores ſacri concilii Baſilienſis in Nurenberga & data ambaſiatoribus dni regis Romanorum & Electorum imperii.

Nationis Germanicæ epiſtola ad Epiſcopum Halberſtadenſem. Gratulatur ei epiſcopatum, dein ad querelas deſcendit ob correptum in eccleſia & in cuſtodiam datum Joannem Smodis, presbyterum & indulgentiarum ſacri concilii præconem, quem liberum dimitti poſtulat.

Ejusdem nationis litteræ ad regem Angliæ, quibus eum hortatur, ut ſynodo Baſilienſi ad exemplum aliorum Principum adhærere velit.

Germanicæ nationis in ſynodo Baſilienſi exiſtentis reſponſum ad litteras Stephani comitis Palatini Rheni, Bavariæ ducis. (Litteras vulgavit Manſius) Miratur primo litteras non ſynodo, ut ab aliis principibus fieri ſolet, ſed Ludovico cardinali inſcriptas. Hortatur dein, ut eas ſupprimat & humanius concilio ſcribat. Tandem concilii hiſtoriam texit cum inſectatione Eugenii, rejicientes eum ad pleniores litteras, ea de re a ſynodo ad principes datas.

Ejusdem nationis Germanicæ litteræ ad fratrem Stephani ducis Bavariæ; mittit illi exemplum epiſtolæ ejusdem ducis & ſuæ reſponſionis, ac petit ut fratrem ad ſaniora conſilia agnoſcendamque ſynodum tanquam legitimam adducat, adjecta pollicitatione, fore, ut Joannes Beger ſcultetus in Ensheim, quemadmodum dux petierat, ab injuſtis vexationibus auctoritate concilii relevetur.

Te-

Digitized by Google

Tenor appellationis interpoſitæ per principes Electores Imperii a requiſitionibus factis hinc inde Francfurdiæ per oratores concilii & Papæ ſuſpenſi tempore proteſtationis ſupradictæ.

Concorditer aviſata per oratores omnium ſereniſſimorum & illuſtriſſimorum principum, in hoc ſacro concilio exiſtentes, pro pace & quiete totius eccleſiæ, nec non & pro ſanctiſſimo opere unionis Orientalis eccleſiæ cum Latina.

Oratio habita in concilio Baſilienſi, in qua proponuntur patribus capita pacis & unionis ſanciendæ inter Papam & concilium a legatis principum concepta.

Capitula intelligentiæ concordatæ inter oratores regum & principum extracta e publico inſtrumento.

1439. Diſſertatio ſine nomine auctoris, cujus argumentum eſt, nationi Germanicæ & nemini licere neutrarum eſſe partium, ſed poſt abrogatum Eugenio pontificatum Baſilienſi concilio adhærendum & obediendum eſſe.

Proviſio circa ſolutionem annatarum concepta in diæta Moguntina pro ſede apoſtolica per oratores principum.

Nationis Germanicæ litteræ ad Albertum Rom. regem. Significat Eugenio pontificatum ademptum eſſe, quemadmodum ex relatione Joannis Epiſcopi Lubecenſis, ſui in concilio legati, plenius intelliget.

Principum Electorum S. R. I. appellatio ab omnibus mandatis, proceſſibus, ſententiis, edictis, occaſione diſſidii inter ſynodum Baſilienſem & Eugenium IV latis ſeu ferendis, ad ſacroſanctum Baſilienſe futurum ſynodale vel œcumenicum concilium, ad

Digitized by Google

S. D. N. Eugenium Papam IV, ſedem apoſtolicam, alium vel alios, ad quem vel ad quos de jure pertinet.

Proteſtatio principum Electorum S. R. I. de non adhærendo neque Pontifici neque concilio durante diſſidio.

Nationis Germanicæ litteræ ad Felicem V hortatoriæ, ut cito ad concilium veniat & Rudolfo cauſarum cameræ concilii Baſilienſis ejusdem nationis membro, ad eum ablegato, fidem faciat.

Tres bullarum formulæ a legatis principum Electorum S. R. I. Baſilienſi ſynodo oblatæ, quarum prima eſt bulla notificationis concilii Baſilienſis de futuro concilio convocando & ſe transferendo, quam Electores a dicto concilio petunt; altera bulla proviſionis, ne fiat impoſitio quinta denarii, & ne dominus Felix Papa præſideat; tertia bulla proviſionis ſuper gravaminibus nationis Germanicæ.

1441. Aviſamenta in conventu Moguntino principibus propoſita pro pace eccleſiæ, quæ cautiones ſint adhibendæ; declarabitur a natione Germanica, cui parti ſit adhærendum.

Hucusque Vindobonenſia; quæ ut ſuo die cum aliis documentis exacte conferantur & ordine chronologico rite diſpociantur, auſpice Deo, diligenter curabo. Vale. Dabam denma februarii MDCCLXVI.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google